









1701.

1. Beierus, Adrianus : De amuletis eorum usulicito  
aut salutari.
2. Beierus, Adrianus : Re eo, quod justum est, circa val-  
nera liberiorum hominum.
3. Friesen, Ioh. Bernhardus : De usuarium lata
4. Friesen, Ioh. Bernhardus : De jure gratiae . . .
5. Friesen, Ioh. Bernhardus : De modis acquirendi aupto  
licitos, illicitos ac in differentibus.
6. Friesen, Ioh. Bernhardus : De selectis dormientiis.
7. Hebenstreit, Iohannes Paulus : De canonibus, ut dicuntur  
realis, apostolicis ..
8. Muellerus, Ioh. Jacob : De moralis lata reservatio-  
num mentalium instrumentis .
9. Muellerus, Ioh. Jacob : De praesumptionibus moralibus.
10. Muellerus, Philippus : Dissertationem : De jure per  
sua homines, & . . . parente suo . . . Disquisitionis de  
expositam . . . d' uno s' p'ficit. Ric. 1732.



- 1709.
11. Schroeterus, Iu. Christianus: De his, quae nobis in ortis  
acquiruntur.
12. Schroeterus, Iu. Christianus: Ad iurum. Dissertationem  
Georgii Lebrecht Wittii inv. statio
13. Stevogius, Dr. Philipp: De mercatore falso censum  
proficiente.
14. Stevogius, Dr. Philippus, Facultatis iuri Sacri decanus:  
Programma, lectioni cursoriae Henrici Herlingii  
-- praemissum.
15. Stevogius, Dr. Philipp: Preconita iuriis
16. Stevogius, Dr. Philippus, Facultatis iuri Sacri decanus:  
Programma, lectioni auspicali Dr. Friderici  
Hortelii. -- praemissum.
17. Treterus, Dr. Philippus: De excursione forestra,  
num ... Adiectum est opusculum R. R. T. Bünnemanni:  
De studiis bacchantibus tumultuantibusque.

1701.

18. Wildvogelius, Christianus, Polycii juris. . . De ca-  
rnis : De iudicio parlutorio ad l. 14 pr. ff. d. appellat.

Programma in usq. / lectioni cursoriae Christiani Christophori  
Vinpeli praemissum)

19. Wildvogelius, Christianus : De investiturae renovatione  
et eius non petitae pueris.

20<sup>a</sup>, b, & 21. Wildvogelius, Christianus : De eo, quod iustum  
est circa conciones fructus. 3. Iuspl.

22. Wildvogelius, Christianus : De exultentibus potentibus

23. Wildvogelius, Christianus : De secreto iudicio ad l. 14.  
C. d. testit. Programma in usq. / lectioni cursoriae  
Christiani Michaelis praemissum)

24. Wildvogelius, Christianus : De jure seculi.

629.

1697

1201,5 — 5

24.  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
*DE*  
**MODIS ACQVIRENDI**  
VT POTE  
LICITIS, ILLICITIS AC IN-  
DIFFERENTIBUS,

QUAM  
AUXILIANTE DIVINI NUMINIS GRATIA  
EX DECRETO ET AUTHORITATE  
**MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS**  
IN ILLUSTRI ACADEMIA SALANA

PRÆSIDE  
VIRO MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
**DN. JOH. BERNHARDO Friesen/**  
HÆREDITARIO in Pösen/ JCTO,  
CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI AULICO ET  
CONSISTORIALI SPLENDIDISSIMO,  
NEC NON  
ANTECESSORE ET FACULTAT. JURID.  
ASSESSORE MERITISSIMO,  
**DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE AC HOSPITE**

ETATEM VENERANDO,  
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS AC PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS RITE LEGITIMEq; CONSEQUENDIS,  
PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ SUBMITTIT  
**CHRISTIANUS MICHAELIS,**  
WISMARIENSIS, REG. DIC. POM. ADVOC.  
IN AUDITORIO MAJORI  
DIE XXIV. SEPTEMBR. ANNO MDCCI.  
HORIS CONVENTIS TAM ANTE QUAM POMERIDIANIS.

---

JENÆ,  
LITERIS WERTHERIANIS.





I. N. D. N. J. C.

**P**Ræsentem DISPUTATIONEM IN-  
AUGURALEM, eâ methodo pertracta-  
bimus, ut CAP. I. LICITOS ACQVI-  
RENDI MODOS. CAP. II. ILLICI-  
TOS. CAP. III. INDIFEREN-  
TES complectamur. Faxit DEUS feliciter!

CAPUT I.

*De*  
**LICITIS ACQVIRENDI  
MODIS.**

THES. I.

**D**iversa quidem mortalium esse Studia nemo facile  
inſiciabitur. Attamen reperiuntur minus multi  
qui habendi desiderio deſtiuantur. Quo fit le-  
gitimis quod non ſint contenti acquirendi modis, ſed &  
in vetitos & reprobos nianturn. Quamobrem cum uſus  
ſit iis, qui honores Doctorales ambiunt, aliiquid in lucem  
emittere & publico ſubjicere examini, idem mihi nunc  
animus eft, qui ad eandem aſpicio dignitatem; juvat acqui-  
rendi modos diſquiftioni ſiſtere publicae. Utut vero exqui-  
ſiorem multo prolixioremque horum uſus, abſterrere me haut potuit,

A 2

ſed

§(4)§

sed magis ac magis horum dignitatem commendavit.  
Et si verò non nesciam causam & acquirendi modum mul-  
tum differre, nihilominus cum nonnulli suis sine cau-  
sis operentur nihil *arg. §. 40. Inst. de rer. div. junct. pr.*  
*Inst. de usuc.* Idcirco modum non raro inseparabili cum  
causa retuli. Plenius quidem hæc materia utpote quoti-  
diana fuisse attingenda, sed cum brevissimô temporis  
spatiō circumscribar delibabo saltem, ac breviter & quasi  
per indicem illam proponam à Definitione ardiens. Sunt  
verò modi acquirendi in genere quædam quasi Instru-  
menta seu media quibus in acquirendis rerum dominiis  
utimur *arg. §. 11. Inst. de rer. div. l. t. pr. ff. de acquir. rer.*  
*dom.* Priusquam autem pervenio ad ipsam specialem  
pertractionem, necesse erit ut generalem distinctio-  
nem ipsorum modorum acquirendi præmittam: Nam  
licet in Jure multi acquirendi patrimonii modi reperian-  
tur, quorum quidam inferius speciatim deducendi, atta-  
men duo *Generales* reperiuntur scil. FORTUNA & LA-  
BOR vid. *l. 6. pr. circ. med. C. de Bon. qua liber.* Hinc  
sub generali acquisitione comprehenduntur omnia illa,  
qua ex *Fortuna* aut *Industria* proveniunt *l. 5. ff. pro Soc.*  
*Gotbofred. ad l. leg.*

II. FORTUNA itaque ut primus generalis ac-  
quirendi modus, est rerum accidentium subitus & in-  
opinatus eventus. *Lactant. lib. 3. cap. 29.* qui principali-  
ter dependet à vi divina *l. si Merces 25. § vis major. ff. Loc.*  
*Cond.* ac bona vel mala statuitur. *Augustin. de Civit. Dei*  
*L. 4. C. 18.* Absolutè tamen fortuna plerunque pro bo-  
na accipitur *L. 1. §. 11. ff. d. Magistrat. convenient.* omnem-  
que hominis statum & felicitatem comprehendit, veluti  
digni-

35(5) 58

dignitatem & conditionem *Nep. 8. c. 1.* Est autem Fortuna Dei ministra, isque autor fortunae est, ad hunc ergo recurramus, utpote datorem omnis felicitatis, à quo proveniunt optima bona ac dona *Jac. 1. v. 17. Syr. 11. v. 14.* ejusque benedictio instar fluminis irrigat terram *Syr. 40. v. 27. Psalm. 65. v. 10.* quam omnibus piis ac fidelibus promisit *Gen. 26. v. 3. Psal. 37. v. 22.* Ope Fortunæ itaque assequimur Honores ac Opes absque singulari studiō, opera aut labore, ac omni quasi facilitate, nam constat, non esse levium cursum, neque robustorum prælium, nec etiam sapientum cibum, neque etiam prudentum divitias, neque etiam scitorum gratiam, sed *Tempus & Fortunam* accidere omnibus his. *Concion. 9. v. 13.* Hinc in humanis nihil *Fortunā* præstantius à plurimis aestimatur, ac quilibet ferè mortalium Fortunam veluti *summum bonum* infestatur & exoptat, ita ut ubivis ferè valeat vulg. illud *Fortuna dat omnia*, adeò ut multi ex coeco quasi impetu, nullà habità consultatione, aut ad minimum inconvenienti, impetrant eam felicitatem, ad quam pervenire non posunt ii, qui etiam adhibuerunt optima sana consilia, omnesque salutares præcautiones. Idcirco minimè deterrbit quempiam fortunæ morositas, sed potius memor sit, quod divina potentia cuncta regat, ideoque ipsi nos, omnesque actiones nostras submittamus. Coeterum optimum fortunæ commodum consistit in constanza, quia regulariter inconstans est, juxta vulg.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat

Et manet in nullo certa tenaxque loco.

*Summa ergo Felicitas est in ipsa Felicitate mori.* Reme-  
dia provocandæ Fortunæ seu Felicitatis sunt (1.) Ti-  
mor Domini quod benedictionem consequimur. *Syr. 1.*

v. 12. quia pietas ad omnia utilis est. 1. Tim. 4. v. 8. eique  
omnia terrena adjiciuntur. Mat 16. 6. v. 33. (2.) Pia Vota,  
quæ strictè sunt servanda. Psal. 50. v. 14. (3.) Libera-  
litas erga pauperes, nam mutuat Jehovæ, qui gratiosè lar-  
gitur tenui & beneficium ipsius rependet ipso. Prov. 19.  
v. 17. & ei qui dat pauperi non erit egestas. Ibid. cap. 28.  
v. 27. germ. Allmosen geben armet nicht. (4.) Virtus,  
quia.

Semina Fortunæ geminat cum tempore Virtus.  
(5.) Improbus labor. (6.) Circumspectio, nam,  
Pervigiles habeas oculos animumque sagacem,  
Si cupis ut celebri, stet tua fama loco.

Cui adstipulatur Axioma Gallicum: Il ne faut pas entreprendre d'entretenir personne pour lui plaire, qu'on n'ait premierement bien considere son bumeur, ses inclinations & de quelle trempe il a l'Esprit L'HONNET HOMME ou L'ART deplaire à la COUR pag. 164. Illudque: Celuy là est bien sage, qui sait menager les Caresses de la Fortune, & se servir dignement des avantages qu'elle donne. Du Verdier pag. 365. (7.) Prompta & fidelis officiorum Exhibito quia juxt. adag. Gallic. Ceux qui sont officieux ne scauroient manquer d'amis & ceux qui ne manquent point d'amis, ne scauroient manquer de Fortune. L'HONNET HOMME pag. 72. (8.) Taciturnitas, quæ optimum ac tu-tissimum rerum administrandarum vinculum est. Val. Max. 1. 2. c. 2. n. 1. Et silentium anima est consilii, quod taciturnitate obsignandum est. Peller. ad Polit. scel. impugn. c. 28. in Addit. p. m. 288. Confer. Prov. 21. vers. 23. (9.) Comitas Affabilitasque sermonis, quæ maximopere conciliat hominum Animos, nam magnorum Virorum, Notitia, Familiaritasque fundamentum hodiè est pro-  
ma-

§§(7)§§

motionis. (10.) Tempus. (11.) Occasio. (12.) Locus, vid.  
plur. *Grypb. Occ. leg. 1. t. c. 11.*

III. Post primum generalem acquirendi modum  
sequitur LABOR, qui præ aliis præstantissimus ac maxi-  
mè necessarius est, nam labor nobis post lapsum Proto-  
plastorum à Deo ipso injunctus est, *Genes. 3. v. 19.* quia  
sicut aves ad volatum, ita homo ad laborem ab ipso crea-  
tus est, in tantum ut non valeat juramentum de non labo-  
rando, tanquam contra jus divinum ac bonos mores fa-  
ctum. *Stracba de Mercatura part. 3. n. 37.* Est autem labor  
regulariter duplex vel *Animi* vel *Corporis* l. 1. S. 3. ff. de  
*Mun. & Hon.* Ille perficitur à *Literatis* Studiorum ac Ne-  
gotiorum gnaris, & consistit in Consiliis, Doctrina aut  
Scriptis. *Hic* ab *Illiteratis* ac *iis*, qui corpore ac manibus  
pedibusque propriè labori addicti sunt. Ab omnibus quo-  
ad laborem requiritur industria, experientia, ac since-  
ritas. Labore itaque *Jusissimus quaestus* nobis obvenit,  
quia laboribus nostris Deus benedicit, nam anima lábo-  
rantium efficietur pinguis *Proverb. 13. v. 4.* ac manus sedu-  
lorum ditat *Ibid. c. 10. v. 4.* ita ut

Omnia conando docilis solertia vincat Virgil.

Et labore necesse sit volentibus fortunatos esse. It. Ad-  
mota manu fortuna invocanda est: *Menand.* Hinc pra-  
xis Theoriz necessariò est adjungenda; nam juxt. *Vulg.*  
*Uſus* facit Artificem; seu ut *Galli* dicunt: *Les Affaires  
font l'homme.* It. *La Theorie eſt un Tbreſor inutileſi elle  
n'eſt pas accompagnée de la pratique.* Nec à labore nos  
abstrahat sterilis sapè istius eventus, nam labor nobis à  
Deo demandatus, eique (licet parum feliciter ac fru-  
tuosè nostra industria succedat) viam nostram com-

men-

mendemus, quia ipse faciet. Non solum verò ex labore varia commoda, sed in primis *Honor ac Pecunia* comparatur. l. 10. princ. ff. de Ann. leg. imò labor prævalet pecunia l. 13. § 1. ff. d. V. S. præcipius itaque laboris finis consistit in acquisitione *Honorum ac Opum*, hujusmodi enim objecta urgentia irritamenta sunt. Hinc ubivis ferè gallica personant axiomata. *L'Argent contant rend l'Honneur & pour l'Argent.* Item: *A force d'argent on vient à bout de tout puisque l'argent remue toutes choses & est plus fort que les armes.* Imò juxt. illud *Horat. l. 3. Carm. Od. 16.*

*Aurum per medios ire satellites*

*Et perrumpere amat Saxa potentius*

*Ictu fulmineo, Concidit auguris*

*Argivi domus ob lucrum,*

Et sane Honorum ac Opum magna vis & efficacia est, præsertim cum à sanctis & bonis possidentur, siquidem tunc sunt materia Virtutum, æternæque felicitatis typi & symbola. *Peller. in Polit. Sceler. impugn. ad Epil.* Prætereaque non adeò Elementorum, quam auri argenteve acquisitione & communicatione nunc vivatur, ita ut inde omnis motus & actio rebus publicis vel ad bellum potenteribus vel per pacem florentibus existat. *Minister Ribe. lib. 3. c. 21. in Polit. Remin.* Nam juxt. illud *Horat.*

*Non facilè emergunt quorum conatibus obstat*

*Res angusta domi.*

Cum autem magna requiratur circa usum Honorum ac Opum temperantia, certè præ coeteris singularis adhibenda est circumspetio ac prudentia, ne termini scil. *Justi & Equi* transcendantur atque licita in illicita convertantur. Perlustratis igitur generalibus modis acquiriendi

§S (9) SC.

rendi, jam nos vertimus ad Speciales acquirendi Modos,

IV. Inter quos primum obtinebit locum HEREDITAS, quæ est successio in universum Jus, quod defunctus habuit. l. 24. ff. d. V. s. l. 62. d. R. 7. Defertur autem hereditas vel regulari vel irregulari modō scil. per pacta hereditaria Hahn. de jur. rev. c. 3. conc. 64. Regulari modo hereditas defertur 1.) per defuncti testamentum. §. ult. Inst. per quas pers. cuique acq. 2.) Legis vigore seu ab intestato §. ult. Inst. per q. pers. cuique acq. Ipsa autem hereditatis acquisitione, est jus quo heres sibi delatam hereditatem agnoscit. Estque ratione Formæ 1.) Immixtio, quæ regulariter suis heredibus datur §. 2. f. de ber. qual. & differ. qua tamen non tam acquiritur quam acquisita retinetur. 2.) Aditio, quando nuda testatione heredem se profitetur. 3.) Pro herede gestio, quando heres facto aliquo quasi heres voluntatem declarat. Vinn. ad §. 6. Inst. de ber. qual. & diff. n. 2. Si vero quid pietatis aut custodiæ causa quis fecerit, aut si suum putaverit non est aditio l. 20. pr. & §. 1. ff. de acq. ber. plures autem modos non agnoscimus cum Vinn. d. l. n. 3. Ratione Causæ efficientis, Aditio est modus acquirendi hereditatem Juris Civilis, Immixtio autem est Juris Prætorii. Ratione Subjecti duplex est, vel necessaria vel voluntaria. Necessaria est, quā heres delatam sibi hereditatem invitus suscipere tenetur, hinc talis heres, etiam necessarius vocatur. Est verò ejusmodi heres vel simpliciter talis, vel necessarius & suus simul. princ. Inst. de bered. qual. Necessarius tantum est servus qui in potestate testatoris existit §. 1. Inst. dict. tit. Necessarius & suus heres simul dicitur, is, qui ex liberis testatoris est, ac in potestate

B

eius-

eiusdem morientis fuit, ut filius filiave, nepos, neptive ex filio, pronepos proneptisve ex nepote, ex filio nato, modo procedens persona desierit in potestate parentis esse: sive morte id acciderit, sive alia ratione, veluti emancipatione. Nec refert utrum naturales sint liberi an adoptivi §. 2. *Inßt. de bered. quæ ab Inßt. def.* Voluntaria hereditatis acquisitio est, quâ heres pro lubitu haud coactus hereditatem sibi delatam suscipit & adit, unde hujusmodi heres vocatur voluntarius l. 3. §. pen. ff. d. *Her. Inßt.* qualis est heres extraneus C. I. A. ad Tit. d. A. & O. H. Hodie acquisitio necessaria non habet locum, sed heres electionem habet, utrum velit se immiscere an abstinere, adire, vel eam repudiare. Hinc si mediante inventario hereditatem adivit, ab omni onere hereditario liberatur, & ultra vires hereditatis non tenetur, l. ult. §. 4. C. de jur. del. Jure Sax. etiamsi inventarium non confecerit heres, tamen ultra vires hereditarias non tenetur *Landr. l. 1. art. 6. Struv. Synt. jur. civil.*

*Exerc. 33. tb. 57.*

V. Consideratà hereditate, non nihil dicendum de legatis, quod commode fieri pr. *Inßt. de leg.* indicat. Est verò LEGATUM, donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda §. 1. *Inßt. d. leg.* Vel donatio testamento relicta l. 30. d. *Legat. II.* aut delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod universum heredis foret, alicui quid collatum velit. l. 116. pr. d. *Leg. I.* Quoad divisionem Legatorum constat, quod Legata sint varia, 1.) Annua Legata 2.) Uſusfructus. Uſus. Habitationis, 3.) Servitutis prædialis. 4.) Dotis. 5.) Optionis vel Electionis. 6.) Tritici, Vini, Olei. 7.) Liberationis it. Debitti. 8.) Instructi fundi. 9.) Auri & Argenti, Mundi,

10.) Penus. 11.) Alimentorum & Cibariorum. 12.) Sup-  
pellectilis &c. Quæ omnia quomodo ab herede præ-  
stentur, & à Legatario accipiuntur. vid. *Tot. Tit. ff. de Le-  
gat.* In specie autem peculiarem cujusque legati Titu-  
lum.

VI. Ratione Domini singularis porrò considerandi veniunt modi acquirendi, NATURALES, JURIS GENTIUM, & CIVILES. Quoad modos naturales dominum acquiritur ab eo, qui primus possessionem rerum naturalium apprehendit. *I. i. §. 1. ff. d. A. vel AP. vel etiam cuin dominus eam ex voluntate sua in alterum trans-ferit. I. 9. §. 3. ff. d. A. R. D.* Sunt verò modi acquirendi naturales varii, quorum nonnullos breviter sequenti modo considerabimus, utpote Occupationem ferarum, in qua obtinet regula quod ante est nullius, occupanti conceditur. *§. 12. Ins. d. R. D. I. 3. pr. ff. d. A. R. D.* Quod tamen de nullius naturā accipendum est, non semper enim omnia quæ nullius sunt, statim occupanti conceduntur, siquidem res *sacra, sanctæ, & religiose* nullius sunt (quod enim divini Juris est, id nullius in bonis est: *§. 7. Ins. d. R. D.*) & tamen propterea occupanti non conceduntur, quia hæ res non sunt in commercio. Occupatio verò tres species habet, nempe Venationem, Piscationem & Aucupium. *Venatio* itaque est Jus cum feræ bestiæ, simul atque ab aliquo captæ fuerint, Jure naturali statim illius esse incipiunt, res enim nullius uti modō dictum, naturali ratione occupanti conceditur *§. 12. Ins. d. R. D.* Constat autem tria potissimum esse genera animalium. 1.) simpliciter fera, quæ absque vi neque occupantur, neque retinentur, ut sunt Leones, Ursi, Lupi, Tigrides, &c. *d. §. 12. Ins. d. R. D.* 2.) Naturaliter quidem fera sed curā

manu facta, ut Apes, Columbae, Pavones, Grues &c. & hæc animalia tamdiu nostra sunt, usque dum animum revertendi habent. §. 14. 15. Inst. d. t. 3.) Mansveta naturaliter, quæ absque vi & custodia retinentur, ut sunt Armentum. Pecus, Gallinæ, Anseres &c. §. 16. Inst. d. t. Hodie jus venandi regulariter ii habent, qui *Populo ac Territorio* præsunt, & hi rursus aliis hoc concedunt. Dividitur venatio secundum mores hodiernos in *Hohe-Mittel- und Nieder-Hägt.* vid. *Seckendorff im Teutschchen Fürsten-Staat.* Quænam itaque venatio alicui competit, ex literis investiturarum ac specialibus privilegiis perspiciendum est. Ratione *Piscationis* sciendum, quod hæc juxt. d. §. 12. J. d. R. D. quoque libera sit, quæ tamen hisce temporibus regulariter ubivis restringitur, ac iis tantum competit, quibus à Principe concessa, vel qui in flumine vel loco e- jus certum jus piscandi habent, alias arbitrariè puniuntur. *Constit. Crim. Artic. 169. Aucupium* denique Jure naturali etiam liberum est d. §. 12. J. d. t. juxta praxin hodiernam autem certò respectu prohibitio illis facta est, qui scil. non specialem concessionem à Superioribus habent. B. Struv. *Jurisp. lib. 2. tit. 1. apb. 24.*

VII. Antiquissimus maximèque necessarius ac principialis Juris Naturalis acquirendi modus est AGRICULTURA, quæ à Deo post lapsum Adami eum in finem instituta est, ut mediante hac, vita humana necessariis alimentis, sine quibus alias ea sustentari non posset, conservaretur. Hinc agriculturæ nullus Justior acquirendi modus est, siquidem super hoc omnes alii fundantur. vid. Cic. lib. 1. Offic. n. 30. Imò parens & nutrix est aliarum artium *Xenoph. in Oecon. c. 9.* contemplemur itaque circa agricultu-

culturam & acquisitionem ex ea existentem tria principaliter objecta, nempe: *Necessitatem, Felicitatem ac Voluptatem.* Quoad *Necessitatem*, res manifesta est, societatem humanam sine agricultura subsistere non posse. nam nullæ sanè res sub cœlo reperiuntur, quæ conservationi nostræ magis inserviant iis, quæ ex agricultura proveniunt. nam quoad Victum, frumenta, olera, poma, pira, cerasa, pruna, lac, butyrum, ova &c. Galli, anates, anseres, columbae, variaque pecora agriculturæ species ut ita dicendum specialissimæ sunt; Ratione Amictus autem, agricultura nobis, linum ac lanam ministrat, prætereaque ligna aliaque necessaria dat, quibus carere non possimus. Quod attinet Agriculturæ *Felicitatem* hæc potissima omnium juxta naturam possessionum est, prout *Aristoteles* 1. *Oecon.* 2. perspicue id demonstrat. Imò principaliter ex benedictione divina proventus absque technis ac machinationibus ab agricola exspectantur & impetrantur; prætereaque agricultura egregias animi virtutes exercet, veluti *animi sibi constantis justitiam, puram conscientiam, modestam sapientiam, ac veram fortitudinem.* Egid. V. der *Myile Tract. de Oblect. Vit. Rust. cap. 2. in fin. fer.* Adeò ut veteres agriculturam seu vitam rusticam omnibus negotiis antetulerint, rati, nullam functionem propriam ad sapientis vitam accedere, cui adstipulatur illud *Horat. de vir. rust. Epod. 2.*

Beatus ille, qui procul negotiis,  
 (Ut prisca gens mortalium)  
 Paternarum bobus exercet suis,  
 Solutus omni fœnore.  
 Neque excitatur classico miles truci  
 Neque horret iratum mare.

Forumque vitat, & superba civium  
Potentiorum limina.

Quamvis autem hodie proh dolor pristina agriculturæ felicitas plurima ex parte propter crebra bella, ac horum intuitu immodicas exactiones, intolerabiliaque ferè tributa ac onera interrupta & diminuta sit, nihilominus tamen hæc sua commoda etiamnum habet. *Voluptatem* denique agriculturæ nobis ostendunt fructuum ac segetum nec non messis pulchritudo & gaudium *juxta Esat. 9. v. 2.* Sylvarum ac Pratorum amoenitas, venatio, armamentorum ac gregrum gratiosus aspectus, strepitus fontium, aut rivorum seu fluminum, ortus & occasus siderum, temporum tempestatumque vices & cujusque anni mores. Qui plura de laudibus agriculturæ legere vult is evolvat Autores quos recenset *Grypb. Oeon. Leg. l. i. c. 17. n. 5.* Coeterum sicut Agricultura justissimus acquirendi modus est, ita quoque lucra ex ea provenientia justissima atque honestissima sunt, quia illoram acquisitione nemo laeditur. Hinc *Plato lib. 4. de legibus* interrogatus, respondit: Se Lydios propterea laudare, quod colendis agris occupati essent, Lacedæmonios è contrario vituperare, quod nihil nisi Regna populosque subjugare didicissent, ita ut feliciores viros æstimaverit, qui manus aratro adhiberent, quam qui brachia vibrandis hastis exercerent. Quam auream sententiam non portis tantum, sed & corribus Principum (imò etiam privatorum) inscriptam esse optat *Anthon. Guevarr. l. 3. Horol. Princ. 15.* Quia tum nihil injustè acquireretur, multique non tam promiscue castra sequerentur, aut alios periculosos ac damnosos sè acquirendi modos eligerent.

VIII. Affecula Agriculturæ est AEDIFICATIO.  
 Fitque is Dominus ædificii cuius est solum §. 30. Inst. d. R. D.  
 nec refert, qualis illa materia sit, num lignum, saxum vel  
 coementum, &c. l. 39. pr. ff. d. R. V. Omnis enim materia,  
 quā ædificia fiunt, huc pertinet. § cum in suo solo 30. Inst.  
*derer. div.* Econtrario autem, si quis ex sua materia in  
 alieno solo ædificaverit illius sit ædificium, cuius est solum  
 l. 7. §. 12. ff. de A. R. D. Quod si quis ex alienis arboribus  
 navem fabricetur, ejus sit navis, cuius sunt arbores, neque  
*lex 61. ff. de R. V.* obstat, quæ de tabulis jam sectis agit.  
 Brunnemann. ad l. 26. ff. de A. R. D. Suboritur hic autem  
 quæstio, num quis non posset expensas ædificii (si dominus  
 soli nempe sibi ædificium vindicat) petere? Resp. Quod  
 sic: Siquidem hodie tam bonâ quam malâ fide ædificans,  
 impensas non modo per exceptionem retinere, sed & per  
 actionem justè ac licitè petere potest Harppr. ad §. 30. Inst.  
*d. R. D.* Grønevæg. d. LL. abrog. dict. S. & T. Quod at-  
 tinet PLANTATIONEM & SATIONEM de iis similis  
 regula obtinet, quod scil. solo cedant, & quidem hoc a-  
 xiom. general. ac vulg.

*Quiquid plantatur, seritur atque ædificatur  
 Omne solo cedit, radices si egerit,*

IX. FRUCTUUM perceptio quoque natu-  
 ralis modus est acquirendi dominium §. 35. usque 38.  
*Inst. d. R. D.* Definiuntur autem fructus, quod sint ac-  
 cessio rei l. 50. in fin. ff. ad SCT. Trebell. Cujac. Paratit. ff.  
*de Usur.* Quæ vel ex ipso corpore rei vel ejus intuitu ad  
 utilitatem hominis accedit, in fructu enim est, quicquid  
 usui hominis inservit. l. pen. ff. de Usufruct. leg. Fructus  
 ergò regulariter sunt vel Naturales vel Industriales vel Ci-  
*ties,*

viles. Naturales propriè sunt, qui immediate sine fa-  
cto & opera hominis nascuntur, ut fructus arborum,  
gramina in pratis l. 45. ff. de Usur. & Fruct. Industriales  
sunt, qui culturâ & operâ hominum ex terra proveniunt,  
ut segetes & fructus vineæ d. l. 45. Civiles sunt, qui ex lo-  
catione Conductione, vel singulis momentis, ut ædium,  
vel certo anni tempore ut agrorum percipiuntur. l. 58. ff.  
de Usufruct. Hæc sufficient de modis acquirendi domi-  
nium naturalibus, siquidem jam cœteros acquirendi  
utpote Foeturam animalium, Alluvionem, Nativitatem  
Insulae in flumine, Specificationem, & Ferruminatio-  
nem &c. brevitatis causâ prætereamus.

X. Seqvuntur jam modi acquirendi dominium de  
Jure Gentium, & quidem MILITIA SAGATA seu spe-  
ciali nomine Bellum, quod definitur: *Jusba per vim conten-  
tio, quatenus scil. autoritate legitima & ex juxta causa  
moveatur.* Qua definitione presupposita, sequitur ipsa  
acquisitio ex bello, quæ consistit in occupatione & quidem  
*jusba.* Cum enim quibusdam hominibus pigrum & iners  
videatur Sudore acquirere, quod sanguine parari possit,  
ac jus habeatur in viribus, nam non nunquam adhuc hodie  
vivitur ex rapto, nec Teuto à Teutone tatus Gryph. Oeon.  
Leg. l. i. c. 15. n. 2. idèò licita hæc occupatio ab illicita vio-  
lentia distincta est. l. 7. C. Und. Vi. Occupantur autem tam  
res immobiles, quam mobiles, nec non Nomina, ex quibus ta-  
men illæ principaliter veluti prædia, Urbes, Regiones ac Re-  
gna cum omnibus suis pertinentiis, nec non mobilib⁹ Tor-  
menta, Arma, Vexilla, Commeatus, Pecunia Campestris  
seu Feld-Casse & similia ab illo acquiruntur, cuius auspi-  
ciis bellum geritur. Reliquæ res mobiles, utpote præda  
capientis dominio applicatur S. 3. Inst. de Jur. Person.  
Inde

Inde enim præda dicta, quod manu scil. parta. l. 28. ff. de  
*Capt. & Post. lim.* Quamvis enim in Bello tripliciter ac-  
 quisitio fiat, veluti 1.) Ex stipendio. 2.) Præmio. 3.) Præ-  
 da: cum tamen ultima species, ut facilior, ita quoque gra-  
 tior militibus sit, ideo etiam quæstus per prædam, pro-  
 priè occupatio dicitur. Prædam itaque in justo bello  
 captam, justò titulò ac bonà fide acquireni posse, non solum  
 Jus Naturale, Gentium ac Civile, verum etiam Divinum  
 approbat, prædamque benedictionem nominat i. sam.  
 30. vers. 26. Imò ob Justitiam prædæ, lætitiam legitimi-  
 mam & exultationem inter partientes exoriri, testatur  
*Ezias cap. 9. v. 2.* Hinc stat sententia, occupationem seu  
 prædam ex bello justo, licitum acquirendi modum esse;  
 simulac verò injustitia belli adest, sanè quæstus ex occu-  
 patione seu præda in illicitum vergit acquirendi modum:  
 tunc enim occupatio est virtiosa, & præda fit rapina. STRA-  
 TAGEMATIBUS tamen licitis uti prohibitum non est.  
 Pro *licitis* autem Stratagematibus habentur ea, quæ con-  
 sistunt in actu quodam inculpabili ac minimè prohibi-  
 to, veluti, si solertia quædam extraordinaria, & vis inge-  
 nii mediò quodam indifferenti contra hostes, licet sup-  
 pressa quoque veritate, adhibetur, prout fieri potest ex  
 variis technis, circumstantiis rerum, scil. *Loci, Temporis,*  
*O:casione*, munitis: Perinde enim est, hostem utrum vi a-  
 perta, an tacitis & inopinatis consiliis fundas. Hoc artificii  
 genere Hannibal, juxta *Livium lib. 22. §. 46. & seqq.* Ro-  
 manos optimè circumegit, & in primis Cannensi præliò,  
 dum aciem populi Romani compluribus astutia laqueis  
 implicavit, ante omnia autem curam adhibuit, ut solem  
 & pulverem, qui ibi vento multis excitari solebat, ad-  
 versus haberent. Tum verò Romani quod adeò miserè

caderentur, cum alias dolo usi fuissent contra alios, videbantur in stratagemata invehi. Hinc prædictus Livius hoc addit *Epiphonema*: Hæc fuit Punica fortitudo, dolis & insidiis & fallaciis instructa, quæ nunc circumventæ nostræ virtutis excusatio est; decepti enim magis, quam vici fuimus. *Illuc* autem sunt *Stratagemata*, quæ continent media Divino ac Gentium Jure prohibita, veluti si venenum adhibeat, hostem scil. interficiendo, vel putoeis inficiendo: Hispani proinde laudem non merentur scil. obfessi Neapoli à Gallis, non tantum fontes insecerunt, sed & scorta eximiâ pulchritudine, quæ morbō laborent perditō emiserunt in castra Gallorum. Militiam sagatam hodie seqvuntur plurimi ob libertatem, honorem ac ditescendi amorem, parum considerantes, ob minimum sape delictum & culpam, gravissimis periculis partæ gloriae jacturam fieri. In bello siquidem stricti juris habetur ratio, nec bis peccare licitum. An vero hæc Togatae præferenda, definiendum ex diversitate Temporum, Locorum, Occasionum, Actuum ac Qualitatum. *Grypb. Oeon. Leg. l. I. c. 16.* Confer *Eneas Sylv. de Gest. Alphonsi. lib. 4.* It. *Later. lib. 1. de Cens. 14. n. 20.*

XI. MILITIA TOGATA *Sagata* proxima est, unde *commodum Literatorum*. Versantur autem in *Militia Togata* illi, qui *Milites sunt Justitia*, ut *Doctores & Advocati Glor. in l. Miles ff. de Re Judic.* Vel in ministerio publico Principis aut Reipublica constituti *l. I. C. de Casis Pecul. omn. Palat.* Nec enim ii solummodo Imperatorum, Regum aut Principum Imperio & Principatibus militare creduntur, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur, sed etiam *Advocati*, qui ut causarum Patroni militant,

35 (19) 5

tant, ac glorioſe vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam & posteros defendunt : Nam hi dirimunt ambigua fata cauſarum, ſuæque deſenſionis viribus in rebus ſepè publicis ac privatih lapsa erigunt, fatigata repa- rant, ideoque non minus provident humano generi, quam ſi præliis atque vulneribus patriam parentesque, ſalvarent ; prout egregium hoc encomium iþi Impera- tores LEO & ANTHEMIUS in l. 4. de Advocat. diver- ſor. Judicior. militibus togatis attribuerunt. Hinc ob Virtutem Togati æquè ac Sagati honorantur ac nobili- tantur ; Nam fons & cauſa Nobilitatis eſt Virtus, qua ab utrisque exerceri debet, ſi præcipue nobilitatem quiſ ſequi vult ; Quia juxta illud :

Sunt duo, quæ faciunt, ut quis sit Nobilis, ARS,  
MARS

Major ab ARTE venit gloria, MARTE  
minor.

Præſertim cum & civilis virtus, bellicâ prior & antiquior, de qua consultatur Plutarcbus in Vit. Nume c. 34. Confer Ludovic. von Hörnicks de Regal. Poſtar. Jur. c. 6. Theorema. 9. n. 10. Sic quoque nova nobilitas per virtutem, eru- ditionem & præclara facta comparata, haud minor anti- quâ eſſe debet ; Nam :

Eſt melius clarum fieri, quam Tempore nasci,  
Virtutem, ſi vis Nobilis eſſe, cole.

Prædict. V. Hörnick. loc. cit. n. 6.

Diſpertienda autem Militia Togata in Quatuor Faculta- tes, ſcil. THEOLOGICAM, JURIDICAM, MEDICAM, PHILOSOPHICAM, quarum tres priores in hoc Vulg.  
Vers. comprehenduntur.

C 2

Theo-

*Theologis Animam subjicit lapsus Adami,  
Et Corpus Medicis, & Bona Juridicis.*

Quilibet autem Facultas peculiares suos quæstus habet, quos speciatim paucissimis perlustrabimus, inchoantes à THEOLOGIA, veluti *Militia Cœlesti*, cuius Cultores licet acquirunt & possident bona temporalia. Nam licet Salvator noster Apostolis suis (cujus assecla hodie sunt Theologi seu Sacerdotes) *Mattb. 10. vers. 9.* interdicat possidere aurum & argentum, & *Luc. 18. v. 22.* non thesaurizare sibi in terra: nec porrò Deo militans implicet se negotiis secularibus. *2. Tim. 2. v. 4.* nihilominus tamen Oeconomia sobria Ecclesiastis non interdicta, sed potius injuncta est. *1. Timotb. 3. v. 2. 3. 4. 5.* hinc quoque licet acquirunt & possident bona temporalia, veluti sala-ria, decimas, nummos pro confessione vulg. *Weicht, Pfennige / aliosvè officii ergò ipsis competentes pro-ventus, ita tamen, ut circa officium absit ratione scil. acquisitio-nis mercatus, aliusque indecorus quæstus can. 3. t. 1. q. 1.* prætereaque pietatis exercitia in quæstum non convertantur *1. Timotb. 6. v. 5.* Nam licet generaliter Clerici seu Sacerdotes præsumantur praे aliis integritati doctrinæ ac vitæ sanctitati operam dare, ita ut conscientiam suam non illicitis seu immodicis comparationibus gravent; siquidem ab his ex officio auditores suos serio dehortari tenentur, tamen non omnes liberè dominantur affectibus suis ac *Samuelis* intrepidam conscientiam habeant, quam *lib. 1. cap. 12. v. 5.* contestatur. Sint itaque alieni ab avaritia *1. Timotb. 3. v. 3.* cui vitio nonnulli Sacerdotes interdum sunt addicti. vid. *c. 1. in fin. X. de Decim. Primit. & Oblat.* Ceterum autem firmiter statuendum?

fas

Fas scil. omnino esse, Theologos seu Sacerdotes laborum suorum justa præmia seu mercedē consequi debere: Nam ii, qui sacris operantur, ea, quæ ex sacrario sunt, edant, & qui altari assistunt, cum altari etiam portionem accipient *1. Cor. 9. v. 13.* idque propter prægnantes rationes in *vers. 7. 8. 9. 10. & 11. b. cap.* deductas. Confer *c. 16. X. de Præbendis*, adeò, ut, si salario aut cœteri redditus ad ipsorum sustentationem non sufficient, alendi sint à populo. *Surd. de Aliment. l. 1. q. 59. & l. 8. c. 34. n. 9.* It. *Stippmann. Tract. de Salar. Clericor.* Consideratæ Theologiæ ejusque acquisitione jam nos vertimus ad JURISPRUDENTIAM latè dictam, sub qua comprehendimus ejus Antistites ceterosque *Tbernidis* addictos, utpote Consiliarios Principum, Magistratus, Judices ac Judicij Officiales, Professores, Advocatos & Procuratores, Notarios &c. Quorum nonnulli *Publicum*, cæteri autem *Privatum Salarium* accipiunt. *Publicum Salarium* est, quod à Principe vel Republica pro expediendis negotiis publicis alicui porrigitur *l. 4. §. 2 ff. de Decret. ab Ord. fac.* quod tamen cuiquam non nisi ex Juribus Reipublicæ tribuitur. *l. un. C. de Præbend. Salar.* Consiliarii itaque Principum hoc accipiunt, & si præterea Legationibus vel aliis negotiis publicis præficiuntur, lucrantur omnia officii intuitu iis quatailibus honestè oblatæ. Magistratus similiter ac Judices, ut & Protonotarii, Secretarii, Registratores, nec non Amanuenses Nomophylaci, & Scribæ Formularii, salarium spôrtulasque participant. Pari ratione Professores salario fruuntur, ut & ceteris accessionibus ex Consistoriis, Facultatibus, aut ex Collegiis iis oblatis. *Privatum Salarium* est, quod à quolibet privato præstatur pro administrandis negotiis privatis; & hoc debetur vel

pacto vel sine pacto, quod regulariter obtinet in Advocato, cui præter arrham, debetur salarium etiam incertæ quantitatis, vel nudò pacto promissum *l. un. C. de suffrag. It. Procuratori Natta Conf. 376.* cum quo convenit *Ordin. Summ. Reg. Tribun. Wismar, Part. 1. Tit. 18. S. 1. pr. & S. 2. princ.* Aut si illis non certum salarium pro intricato plerumque labore, quem patrocinando clientibus suis præstant, datur, tuto accipiunt loco honorarii quævis obligata, quæ scilicet non obstant pacto de quota litis, adeo ut pro singulis causis usque ad centum aureos iis legitimè accipere liceat clar. *l. 1. §. 12. in fin. ff. d. Extraord. Cogn.* Prætereaque ipsi totum salarium tribuitur, etiamsi causam amiserit, præsertim si omnia illa adhibuit, quæ diligens & peritus Advocatus observare debuit ac potuit. *l. 10. §. 1. ff. d. Neg. Ges. Borch. d. Patr. cap. 5. in fin.* Sic quoque Advocato totius anni salarium debetur, si initio vel medio anni moriatur, aut alias se vivo, per eum non stat, quo minus operas suas præstet, neque honoraria reddere tenetur, si per eum non stetit, quo minus causam agere potuit *Gail. lib. 1. obseruat. 44. num. 12.* In ipsa autem acquisitione observetur *Justitia, Æquitas, ac Conscientia,* ideoque Advocati vitent illicita stratagemata forensia & artem rabulariam. Cæterum ex Jurisprudentia etiam hodiè præsertim in judiciis majoribus maximæ opes acquiri possunt; sic inter alios Nicolaus Rolim Cancellerius Burgundiæ, posteris suis 25. villas, in quibus erant castra amplissima cum 25. millibus librarium Turon. redditus annui reliquit, quæ omnia ex industria & literatura lucratus est. *Chassan. P. 12. Catal. de Glor. mund. Conf. 72.* *Jurisprudentiam* sequitur *MEDICINA*, cuius questus similiter est honestus & justus, competit autem Medicis æquæ

æquè ut JCtis salaryum vel à publico vel à privatis; Quos ad prius vid. l. 4. §. 2. in fin. ff. de Decret. ab ordin. fac. l. 1. §. 1. ff. de extraord. cogn. pròpter hoc tamen, non tenetur gratis unumquemque curare c. 15. c. 14. q. 5. nec obstat c. 3. distinct. 23. nam hic canon ad clericos tantum, non ad seculares pertinet. *Speculat. de Salar.* §. 5. n. 6. nisi ægrotus sit pauper, quia tunc pietas & æquitas præferenda est juri stricto, ad exemplum Advocati, qui pauperi gratis patrocinari tenetur. Major autem est quæstus Medicorum in locis voluptuariis & minus sanis, nec non præcipue in aulis & emporiis, quam in villis seu pagis, ac potissimum ejus salaryum crescit necessitatis tempore; quare ipsos honorari vult *Syr. c. 38. princ.* Romani Principes celeberrimis Medicis pro annuo salaryo dedere 250. festerios, qui juxt. Budæi computum 6250. aureis æquivalent *Plin. l. 29. nat. bis. c. 1.* Cujusmodi largum salaryum si planè hodie non cesseret, saltem perrarum erit, ac multi medici quoad dies ferè vitæ non lucrabuntur. *Privatum Salaryum* pro singulis curationibus accipitur, idque tam à privatis, quam à Principibus. Sic Erasistratus Aristotelis ex filia nepos à Ptolomæo Rege ob Antigonum patrem curatum 100. talentis syriis donatus est. *Plin. predict. loc.* Similiter Hieronymus Cappuccius gloriatus est, se ex sola gallicæ Iuis curatione 18. millia coronatorum lucratum esse. Lansius in *Orat. coner. Hispan.* fol. 411. Quod si autem ægrotus moriatur, nihilominus Medico integrum salaryum debetur per *cap. 7. X. de etat. Et qualitat.* non enim in ipsius potestate est omnes sanare ægrotos, sed hoc solummodo Christo competit *Mattb. 8. v. 16.* Et non semper laborem effectus sequitur. c. 10. §. 4. X. de *Re-nunciat.* Hinc juxt. *Ovid.*

Non

Non est in Medico, semper relevetur ut æger,  
Interdum doct̄a plus valet arte malum.

Si tamen ex negligentia vel imperitia ipsius, ægrotus moriatur, haud impunis est. vid. P. H. O. artic. 134. Cujus criminis rei sunt nonnulli Medicorum ac multi Empiricorum, qui ægrotos ad Campos Elisæos, vel potius ad alteram vitam nimis præmaturè mittunt; idque ex eo regulariter procedit, quod tam multi imperiti medicinæ promiscue operam dent: nam nulla ars vulgarior Medicinâ, juxta tritum illud:

Fingunt se Medicos, quivis idiota, Sacerdos,  
Judæus, Monachus, Histrio, Risor, Anus.

Præterea etiam interitus hominis sæpè causatur ex mala curatione, si plures nempe adhibeantur medici, quia illorum æmulatio ac dissensus ægrotō perniciosissimus est. vid. Freitag. in noct. Medic. c. 15. Demum de PHILOSOPHIA, ejusque quaestu paucis agendum, quæ eti propter varias suas disciplinas sit necessaria, utilis ac curiosa, nec non laboriosa, attamen minus lucrosa juxta Vulg.

Dat Galenus Opes, dat Justinianus Honores,  
Pauper Aristoteles cogitur ire pedes.

Et hoc fit ex depravato multorum, in primis vulgi more, qui artes ex utili aestimat, & de pane lucrando primario sollicitus est. In genere itaque Philosophia Cultores intelligendi sunt, Professores ac Magistri, qui publice ac privatim in Academiis & Scholis docent, quorum Illi in specie variarum artium seu disciplinarum, quas profitentur Professores dicuntur: bi autem Præceptores seu Collegæ scholarum sunt, qui omnes quoad officia sua propriè intuiti studiosorum ac scholarium tractant exercitia theo- rica

rica, videlicet interpretandi scribendi, perorandi, disputandi l. 2. § 5. ff. d. O. J. Grypb. Occon. Leg. l. 1. c. 16. Quam necessarii itaque hi sint publico, ex eo patet, quod eorum ductu non solum pueri ac juvenes in literis ac bonis artibus informentur ac erudiantur, sed etiam à vitiis ad virtutes ducantur, imò fundamentum stabilienda virtutis practicæ, ac tenendi clavum Imperii, nec non animorum animarumq; felicitatem assequi possint. Siquidem Academæ ac Scholæ sunt seminaria nostra, quibus destructis, aut neglectui habitis, Respublica haud bene subsistere potest. Quemadmodum autem aliæ præmia, seu justa merces canidè laborantibus meritò porrigitur, ita hi quoque profideli ac indefesso labore, studioque, justissimè digni sunt remuneratione. Ut ut igitur regulariter illorum quæstus modicus & exiguis sit, habent tamen sua annua salarya, nec non alia commoda ex privatis Collegiis seu Lectiōnibus, ut quoque occasione quarundam aliarum rerum seu circumstantiarum, ut funerum, legatorum &c. quibus si non opiparè, saltē honestè vivunt.

XII. Similiter quoque perceptio quæstus ex POSTIS, licitis acquirendi modis accensetur; Nam licet jus Postarum simpliciter sit Jus Majestatis, ejusque Institutio solummodo illis Principibus ac Rebuspublicis competat, qui superiorem non agnoscent, ideoque quævis lucra inde evenientia, ut publici proventus ad ararium Principis aut Reipublicæ pertineant; Attamen cum nonnullum ex speciali gratia à Superioribus commodum ex Postis redundans nonnullis Ministris, vel ad certum tempus, vel ad dies viæ, vel quoque certis familiis in feudum concedatur: Veluti Dnn. Comitibus de Taxis officium Postarum per Imperium das Käyserlich Reichs Post-Amt, Dnn,

D

Comi-

Comitibus de Paar autem Aulae Archi-Ducalis hæreditariū Erzhoff Post Almbt. It, Regionum hereditaria-  
rum Erbländ Post Almbt in Feudum datum est. Vid. Lu-  
dov. von Hornikg de Regal. Postar. Jur. c. 16. Theorem. 3 n. 4.  
Præterea quia administratio Postarum per Præfectos seu  
Magistros fit, hinc hodiè officium Præsectorum Postarum  
meritò inter utilissima ac certissima computatur officia,  
quia propter necessitatem evidentem tam publicam quam  
privatam, usu Postarum earumque accessoris nullus Prin-  
ceps, Respublica, aut Populus carere potest. Cæterum  
qui de jure ac commodis Postarum plura scirè cupit, is per-  
lustret præalleg. von Hornikg peculiarem Tractatum de  
regali postarum jure.

XIII. Pervenimus jam ad modos acquirendi Dominium  
**Civiles**, USUCAPIONEM, nec non DONATIONEM.  
Usucapio secundum Modestinum est adjectio dominii per  
continuationem possessionis temporis lege definiti l. 3. ff.  
usurp. & usucap. Dividitur autem usucapio ratione ob-  
jecti, in usucpcionem rerum mobilium ac immobilium.  
l. unic. C. de usuc. transform. Ratione formæ ex novo ju-  
re civili, in usucpcionem triennii & decennii vel vicennii.  
dict. l. unic. Ab usucpcione olim differebat præscriptio  
longi temporis, quam distinctionem tamen Imperator  
Justinianus sustulit dict. l. unic. Præscriptio igitur est  
I.) Longi Temporis. Rubric. Instit. de Usucap. quâ præscri-  
ptione acquiruntur omnes res corporales & incorporales,  
& quidem res mobiles triennio, immobiles & incorpo-  
rales inter præsentes seu provinciales X. inter absentes  
XX. Annis l. fin. C. de Long. Temp. Præscript. II.) Longis-  
imi Temporis l. 8. C. de Præscript. 30. vel 40. ann. Hac acqui-  
run-

runtur 1.) Res sine titulo possesse. 2.) Minorum. 3.) Res adventitiae filiorum fam. à patre alienatae. 4.) Res à malæ fidei possessore ignorante domino alienatae, & bona fide acceptæ. 5.) Res vitiosæ à bonæ fidei possessore. 6.) Feudum. III.) *Præscriptio immemorialis*, quâ acquiruntur res & actiones, quæ aliter præscribi aut acquiri non possunt. Lauterb. ad Tit. de Usurp. & Usucap. in fin. Jure Saxonico usucaptioni triennali æquiparatur præscriptio annalis, quâ scil. res mobiles intra annum 6. septimanas & 3. dies præscribuntur. Quoad præscriptionem longi & longissimi temporis, sufficit tricennialis præscriptio, quâ nempe annis 3. 6. septimanis & 3. diebus res immobiles, jura, actiones, præscribuntur. Ratione præscript. 40 Ann. ut & immemor. præscript. Jus Saxon. cum Jure Civili convenit. Dn. Struv. Jurisprud. Rom. Germ. For. ad Tit. de Usucap. apbor. 24. 25. & 26.

XIV. DONATIO in genere est actus, quô donum in alterum ex liberalitate, & nullò jure cogente transferatur. 1. 29. ff. de Donat. l. 82. de R. J. Est verò donatio duplex 1.) Mortis causa. 2.) Inter vivos princ. Inst. de Donat. Illa est, cum quis mortis consideratione coram 5. testibus in alterum consentientem & acceptantem, certum quid confert. 1. 40. ff. de Mort. caus. donat. l. fin. C. eod. Est verò potissimum triplex 1.) Cum quis absque instantis periculi metu ac terrore solà mortalitatis contemplatione donat. 2.) Cum quis imminentे morte, ita donat, ut statim transferatur in accipientem. 3.) Si quis mortis periculò aliqui dona non ita confert, ut statim sint accipientis, sed morte demum infecutā 1. 2. ff. de mort. causa donat. Donatio inter vivos in genere, est actus, quô quid nullà cogente necessitate, sed ex mera libera voluntate, alteri

D 2 abs-

absque ullo revocandi animo confertur l. i. pr. de don.  
 Singulare genus donationis inter vivos adhuc est, *Dona-*  
*tio propter Nuptias*, quæ doti solet æqualis constitui l. 9.  
*junct. autbent. æqualitas C. de fact. Conv.* Hic autem à  
 marito nihil traditur, sed res propter nuptias donata ab  
 illo retinentur, isque iis utitur, & uxori tantum in ipsis re-  
 bus dominium & tacita hypotheca competit, *Autbent.*  
*permis. C. d. Don. propt. Nupt. Capz. p. 1. c. 28. d. 98.* Alias  
 donationses inter Conjuges regulariter non valent, ita ut  
 rei traditæ dominium non transferri possit, sed res extans  
 vindicetur, consumpta verò condicatur. l. 5. §. fin. ff. de  
*Donat. int. Vir. & Uxor.* Quod tamen non procedit, si  
 nempe Coniux inde non locupletior factus sit. dict. §. fin.  
*l. 7. pr. dict. tit.* Quare coniux quoque fructus industriæ  
 & culturæ suâ ex agro donato perceptos, suos facit, & non  
 restituit. l. 45. ff. de *Usuris*. Donationes verò reciprocæ  
 seu remuneratoriæ, quatenus scil. non transgrediuntur æ-  
 qualitatem inter Conjuges, licitæ sunt. l. 32. §. 14. ff. de  
*Donat. int. Vir. & Ux.* Gail. l. 2. O. 40. Similiter conce-  
 ditur quoque donatio, quæ adipiscendæ dignitatis gratiæ  
 ab uxore in maritum confertur l. 40. & 41. ff. dict. tit.  
*Strenæ quoque & alia Xenia modica*, jure valent & subsi-  
 stunt. Carpov. P. 2. c. 13. D. 20. Licita etiam est inter con-  
 juges donatio mortis causa l. 9. 11. ff. de *Donat. int. Vir. &*  
*Uxor.* Jure Canonico denique, etiam donatio inter con-  
 juges facta, firma est, quæ scil. juramento est confirmata.  
*Dn. Struv. J. R. G. F. ad Tit. de Don. apb. 25.*

XV. DOS. quoque veluti sub generali donationis  
 titulo comprehensa, civilis acquirendi modus est, & defi-  
 nitur: *Quod sit jus, marito in re uxoria pro sustinendis o-*  
*neri-*

35 (29) 56

teribus matrimonii constitutum. 1. *Si quis 2i. §. Sillxor 1.*  
*ff. de Donat. int. Vir. & Uxor.* Habet autem uxor triplicis  
generis bona nempe: 1.) Dotalia. 2.) Paraphernalia.  
3.) Receptitia. Gail. L. 1. O. 133. n. 5. Lucifer itaque ma-  
ritus indifferenter omnes fructus è dote. 1. 7. pr. ff. de jur.  
dot. nec refert, utrum dos in re mobili, an in immobili con-  
sistat, adhibitā tamen quoad hanc, distinctione, quod scil.  
maritus eam, v. g. fundum dotalem, alienare non possit.  
*Tot. Tit. ff. de Fund. dotal.* Non solum vero *ususfructus* &  
*administratio dotis* marito, constante matrimonio, compe-  
tit, sed ipsum quoque dominium 1. 30. C. d. Jur. Dot. Sic  
etiam maritus *usumfructum bonorum paraphernalium ha-*  
*bet*, quorum *administratio* penes ipsum est, quæ regulari-  
ter *præsumitur*. Cum enim illa uxor marito tradit, vel in  
domum infert, dicitur committere & mandare custodiam  
ipsi marito. Menoch. lib. 3. *præsumpt. 9. n. 1.* Idem dicen-  
dum de *Bonis Receptitiis*; Nam licet hæc sint extra dotem,  
nec uxor eorum *administrationem* marito concesserit,  
nihilominus tamen, dum is fructus percipit & consumit,  
eâ sciente ac patiente, dicitur ipsi viro mandare perceptio-  
nem & consumptionem. *Idem ibid. n. 3.* Quoad quanti-  
tatem ipsius dotis, præcipue ratio haberi debet, dignitatis  
personarum, tam saceri, quam generi 1. 69. §. 4. ff. d. Jur. dot.  
nec non facultatum saceri; nam dos formatur ad quanti-  
tatem legitimæ, eique succedit. Gail. L. 2. O. 122. n. 13. Ea  
itaque dos tunc demum congrua dicitur, quando scil. ad  
quantitatem legitimæ accedit. Menoch. *de Arbitrar. Jud.*  
*Quæst. 1. 2. Cas. 149. n. 27.* Ratione dotis quæstio adhuc  
exsistit: *Reipublicæ conducat uxores potius doratas aī minus*  
*virtuosas, aut non bene educatas, nec non formosas, quam in-*  
*doratas & virtutibus præcellentibus præditas, & bene edu-*

30 (30) Se

atas, ac non formosas, babere ac eligere. Quoad illas, ha-  
rationes negativæ adducuntur 1.) Quod plerumque sint  
rixosæ juxta illud *Satyr.* Sat. 6.

Libertas emitur veniunt à dote sagittæ,  
Intolerabilius nihil est quam foemina dives,

Cui congruit dict. Syr. cap. 25. v. 26. Wo das Weib den  
Mann reich machet / da ist immer Hader. 2.) Imperio-  
se, nam quæ indotata est, ea est in potestate viri, dotatae  
mactant & damno & malo viros. Plaut. in Aul. Act. 5.  
Scen. 5. It. Argentum accepi dote Imperium vendidi.  
Idem in Asinac. A. 1. S. 1. ita ut regulariter uxores divites  
regnare velint in suis divitiis Senec. l. 2. declam. 6. præter-  
eaque in genere ferè uxores quoad Imperium sibi inser-  
viant Interdictis Vi, clam, precario. Quoad Has autem  
nempe indotatas ac virtuosas aut benè educatas ac non-  
formosas uxores, rationes affirmativæ sunt, quod scil. ha-  
præferendæ, omnino videantur illis, quia virtus antepo-  
nenda divitiis, ac tranquillitas matrimonia conservet, in-  
superque publico necessaria fit. Verum enim verò, ut  
nunc sunt mores, ac mutata temporum rerumque facies,  
certè dotatis uxoribus primas dare solent, idque pro-  
pterea, quod non solum non apodicticum sit, omnes  
scil. dotatas rixosæ, imperiosæ, ac leves vel infideles esse:  
nam multæ adhuc reperiuntur, quæ tranquillæ mentis  
sunt erga maritos suos, ac plurimæ modestiæ ac fidelitatî  
adhuc operam dant; ideoque illæ indignæ sunt titulô  
Xantippe; verum etiam præterea, quod nemo hodie in-  
dotatam uxorem facile ducere vult l. 25. §. 1. in fin. ff. Que  
in fraud. Credit. ita, ut juxta illud Horat.

Et genus & formam regina pecunia donet.

usque

usque adeò, ut pécuniarum, opum, ac dotum causa, Ma-  
gnates in summis magnisque dignitatibus constituti, sæ-  
pius extra Genus suum insimæ, aut saltem inæqualis pro-  
fapiæ uxores ducant. quid? quod ad conservandas facul-  
tates, matrimonia regulariter absque dispensatione  
prohibita, ineant. Hinc propter utilitatem dotis, quæ  
animis hominum altas radices fixit, tam veteres quam  
moderni JCTi cōmōti sunt, usui populari se accommo-  
dare, ac dotis causam semper & ubique favorabilem æsti-  
mare. 1. 1. ff. sol. matrim. quia piā causam sapit. *Hering*  
*de Fidejuss. c. 7. n. 454.* adeò, ut Reipublicæ quoque intersit  
mulieres dotes salvæ habere, propter quas nubere possint.  
1. 2. ff. de jur. dot. (quod tamen, simplicis non est necel-  
litatis; quia nuptiæ quoque absque dote ex solo affectu  
valent ac subsistunt. *Novell. 74. c. 4. princ.*) Accedit  
porrò quoque alia ratio, tam politica, quam physica.,  
quare nempe nonnullæ virgines, præsertim dono conti-  
nentia non præditæ, mature sint elocandæ, scil. quia per-  
tinent ad res, quæ sæpius servando servari non possunt.  
Sicut autem dos honestis moribus acquirenda est, ita è  
contrario iis deficientibus, minimè in honestis artibus  
eam quærere licet, veluti per actus meretricios. 1. 51. ff. de  
*Don. int. Vir. & Ux.* prout apud Cyprios mos inoleverat,  
ut virgines ante nuptias statutas, dotalē pecuniam à pe-  
regrinis in portum venientibus acquirerent. *Men. lib. 2.*  
*Cas. 535. n. 10.* It. traditur, Romæ nonnullos parentes esse,  
qui filias suas lucrari faciunt dotes cum aliquo Magnatum,  
antequam nubant. *Nevit. lib. 1. Sylv. nupt. n. 167.* Sed ab-  
sist ejusmodi sordida acquisitio, adhibeantur potius alia  
media honesta, ad acquirendum egenis virginibus seu  
puellis dotem, nempe labor indefessus, ac servitia honesta.

32158

Cæterum salvo rectiori judicio statuendum censetur. Si quis Facultatibus, aut officii conditione ita sit firmatus, ut onera matrimonii commodè absque dote sustinere possit, eum benè ac laudabiliter facere, si uxorem ducat indotatam, præcipue si pietate, prudentiâ, ac præclarissimis animi corporisque dotibus & ornamentis emineat, secus dotata eligenda videtur, quia onera matrimonii præsertim hisce perversis, ac caris temporibus absque pecunia, aut redditibus difficilè sustineri possunt. Optima interim felicitas matrimonii, à Deo devotis precibus impetranda est.

XVI De Acquisitionibus ex contractu tam uni quam bilateralí provenientibus nunc aliquid proponendum. Ratione illorum considerandum venit M U T U U M, quod, contractus nominatus est, realis, stricti Juris, quò res, quæ pondere, numerò vel mensurā constant, in hoc dantur, ut accipientium fiant, propterea que postmodum non eadem res, sed alia, quæ sunt ejusdem naturæ ac qualitatib, in genere restituantur princ. Inst. Quibusmodis re contrahab oblig l. 1. §. 2. ff. d. O. & A. l. 2. §. 1, 2. & 3. ff. d. R. C. Differentiam Mutui & Crediti vid. in mod. alleg. l. 2. §. 3. Consequitur itaque quis ex mutuo omnem utilitatem, quæ inde percipi potest, quia rei mutuo datae sit dominus. Ad Contractus Unilaterales, porrò quoque referuntur Cibographum & Scipulatio, verum cum de his brevitas ergo jam nihil differamus ideò B. L. ad Besold. voc. Hand-schrift/ ut & ad Harpprecht. Tit. Inst. d. Verb. & lit. oblig. remittimus.

XVII. Ab Unilaterali Contractu, jam ad Bilateralem pervenimus, cuius intuitu tam contra-hientes, æque possunt obligari, quam commodum

ex

ex iis percipiunt. Considerabimus igitur frontispicii Iocō MERCATURAM, quæ est officium, quod lictè exercetur in rebus mobilibus, quæ sunt in commercio comparandis, illisque distrahendis. Causa finalis hujus rei est *questus*, qui quasi ut quinta essentia, mercatoris objectum est, omnesque ipsius cogitationes, industria, itinera, sumptus ac pericula veluti media illum ad hunc finem ducunt. Nam juxta Vulg.

Impiger extremos currit Mercator ad Indos,  
Per mare pauperiem fugiens per faxa, per ignes.

It. O Cives, Cives, quærenda primum pecunia, virtus post nummos. Percipit itaque quis ex comparatione & distractione rerum mobilium omne lucrum & commodum inde proveniens. Est autem mercatura non solum actus licitus & honestus, sed etiam utilis ac necessarius in Republica l. 5. §. 3. ff. d. jur. immunitat. in sacra Scriptura approbatus; Heig. l. 2. q. 1. n. 10. ac Jure Gentium cuivis licitus, & consequenter ab omnibus ferè populis receptus l. 5. ff. de just. & jur. ideoque prohibitiones commerciorum ut libertati naturali contrariae, valde sunt odiose, ac cavadæ. Dn. Mev. p. 5. D. 169. n. 5. adeò, ut mercatorum & camporum massa summum bonum & quintum elementum Reipublicæ sit. Strach. de Mercatur. p. 2. n. 4. Quare quoque mercatura est amica populis, quia mundus sine mercatoribus vivere non potest, Bald. in Rubric. X. de Cler. Peregr. & sine permutatione mercium ac commercio, Regna & Civitates diu jucundè non stant. Senec. 4. de Benefic. 12. proptereaque Principes sapissimè mercaturæ ac mercatorib[us] plures tribuerunt immunitates & exemptiones, Menoch. Consil. p. n. q. veluti videlicet ex Mar-

quard. de Mercatur. Idque ideo, quod *Mercatura* principaliter publicæ necessitatí, utilitati & voluptati inserviat. Strach. P. 2. n. 16. Præterea mercatura indiget navigatione, uti jam demonstrabimus, quia absq; illa haud bene subsistere potest, ac pro re sterili ferè habenda est. Cæterum tria potissimum sunt, quæ mercatores instar pestis vitare debent, si conscientiis suis rectè consulere velint: nempe: *fraudem, mendacium ac enormem lesionem* vid. plur. *Gryphian. Oecon. Leg. l. i. c. 24.*

XVIII. NAVIGATIO porrò utpote mercaturæ accessio, acquirendi quoque modus est, ac definitur, quod sit jus transvehendi ac transportandi merces in commercio existentes. de loco ad locum. Cujus finis primarius est *quaesitus* ex transvectione ac transportatione, ejusque occasione navigantibus obveniens, ita, ut principaliter quorumvis commodorum ex navigatione evenientium, ratio habeatur. Est autem Navigatio necessaria ac utilis, quia mediante ea, adipiscimur res ac merces alias nunquam obtainendas, veluti ex India tam Orientali, quam Occidentali, idque propter distantiam locorum, quæ alias per terram vel planè non, aut saltem difficulter sunt accessibilia: Veluti Asia, Africa ac America Anglia &c. utilitas autem ex navigatione resultans est vel *publica*, vel *privata*: *Illa* pertinet ad Principes & Republicas, hec ad privatos. Maritima itaque commercia maximi emolumenti sunt, cum lucrum illic fiat immensum & nihilominus justum. Nam vix terrestre cujuscunque etiam conditionis fuerit 15. aut 20. ad sortem centesimam referit, nec tamen per omnia, quia multa patrantur usuram redolentia. Mare autem duplicat sortem etiam nonnunquam longè amplius nullâ querimoniaz occasione; Hinc mari-

§(35)§

maritimum commercium Républicas exiguae fecit & o-  
pulentas & potentes, prout viva exempla sunt Respubli-  
cæ Venetiæ, Hollandia ac Genua, vid. *Minister Cardin. Ri-*  
*ebely. l. 8. l. 55. in Politic. reminiscent.* Quæstus verò iste  
maritimus eò minus invidendus est navigantibus, quanto  
majus ineunt periculum vasto mari scil. se committen-  
tes. De quo emphaticè jam conquestus *Horat. lib. 3.*  
*Od. 3.*

Illi robur & æs triplex  
Circa pectus erat, qui fragilem truci  
Commisit pelago ratem.

XIX. HOSPITATURA, utpote publico ac præcipue  
peregrinantibus utilissima, merito inter legitimos acqui-  
rendi modos refertur. Hæc verò est jus hospites pere-  
grè advenientes in domum suam recipiendi, necessaria-  
que ipsis, iusto ac æquo soluto pretio, suppeditandi. Te-  
netur itaque Caupo, in primis publicus, necessariò hospi-  
tes recipere. *Gaul. l. 2. c. 10. n. 35. de pac. publ.* Ratione  
apparatus autem præcipue dignitas hospitum respicienda  
est *l. 14. ff. de Ann. Leg.* Alter enim Magnates, & in di-  
gnitate quadam constituti, alter inferioris conditionis  
hospites sunt excipiendi, ne hi ob nimis opipera convivia  
brevi tempore omni viatico spolientur. Tum etiam hos-  
pitibus tam ratione personarum, quam rerum securi-  
tas à cauponibus praestanda: aliàs hi illis damna resarcire  
tenantur. Sicut autem caupo tenetur hospitem defendere,  
ita ille quoque ab omnibus injuriis, aut vi tutus esse  
debet. Nam hæc reciproce intelligenda & observanda  
sunt; adeò ut etiam apud Barbaras Gentes jura hospi-  
tiorum sancta ac inviolabilia æstimata fuerint *c. 12. in fin.*

632. q. 7. idque propterea, quod publicè intersit, peregrinantibus hospitia publicè patere, in quæ noctu ac interdiu liberè divertant. l. 1. & 5 ff. *Naut. Caup.* Pro hospitio verò *Locarium* cauponibus debetur. Nam ex hospitatura lucrum faciunt, hocque locarium non naturaliter tantum, sed etiam ex contractu veluti ex locato conducto debetur l. 9. §. 6 ff. *loc. cond.* Vel etiam ex innominato contractu, do, ut facias l. 17 ff. *prescr. verb.* Quantitas autem locarii pro diversitate locorum, temporum ac hospitum qualitate constitui debet. Vitent ergo caupones summā ope vitia quæstus cauponii, quibus multi sàpè dediti sunt. Nam primaria cauponum ferè intentio est, homines argento emungere, itaque pretium prandii, non ex ferculis hospiti appositis, sed ex hospitis vestitu & marsupio constituunt, ac in eum finem nonnunquam omnis generis artes & fraudes usurpant, quas describit *Capar. Ens in prosen. vit. bum. c. 5. 6.*

XX. Denique ad legitimos acquirendi modos pertinent ARTIFICIA ac OPIFICIA, potissimum, quæ inserunt necessitatì vel utilitati. Illi præsunt Monetarii, Apothecarii, Chirurgi, Typographi, Chartularii, Pistori, Molitores, Piscatores, Laniones, Pannifices, Textores, Sutores, Sartores, &c. Utilitati operam dant Equifores, Rudarii, Palæstrites, Saltatorii Magistri, Aurifices, Sculptores, subdititiae comæ Concinnatores, Coqui, Hortulani, Stannifusores, Balneatores &c. Quorum omnium cura ac intentio est, ut ex Artificiis ac Opificiis quæstus suos faciant, omniaque commoda ex iis orta percipiant; Necesse tamen est, ut tam quoad ipsa Artificia ac Opificia, nec non acquisitionem adhibeant, industriam, integritatem, æquitatem ac modestiam. Restarent quidem

36 (39) 56

dem adhuc plures acquirendi modi liciti, ordine proposendi, sed cum temporis & instituti ratio habenda, peti poterunt ex Gryph. & aliis citt. autoribus.

## CAPUT II.

*Dc*

# CONTRARIIS ET ILLICITIS ACQVIRENDI MODIS.

Perlustratis in capite primo *licitis acquirendi modis*,  
jam agendum de *contrariis & illicitis*, & quidem

I. De AMBITU, qui est crimen publicum, quô pro collatione honoris ac dignitatis pecunia accipitur. *Nov. 8.*  
*c. 1.* *Hoc crimen* committunt ii, qui pro suffragiis ad consequendos honores vel officium, pecuniam aliaque munera accipiunt, sive id fiat per illos ipsos, sive domesticos suos, aut quempiam eorum, qui ad ipsos pertinent. *Nov. 161. c. 26* sique non raro acceptis muneribus eos, qui probatæ vi- tæ eruditionisque testimoniô ac experientiâ aliquis ne- cessariis carent, ad honores seu officia promovent. Ita- que commodum honestati, virtuti ac conscientiâ præ- ferunt. Delictum autem hoc generaliter *Reipublice* per- niciosissimum est; evertit enim dexteritatem, justitiam, bonos mores, ipsamque salutem publicam, & inducit quilibet depravationem, variaque abominanda vitia. Hinc quoque non solum omnes hoc crimen cordatis sumo semper habuerunt odio, verum etiam certa pœna in ejus reos constituta est. Sic de Jure Civili pœna ambitus est mulcta 100. aureorum cum nominis infamia *l. i.* §. 1. *ff. de Leg. Jur. Ambit.* Hodie hoc delictum, licet per raro patefiat, nihilominus arbitrariè punitur, & pro mo-

E 3

do

do & qualitate admissi ad remotionem ab officio & relegationem usque extendi potest. *Damboud. Prax. Rer. Crim. c. 131. n. 11. & seqq. Harppr. ad §. 11. Inst. de Publ. Jud. Simile crimen est SIMONIA cum pro suffragiis ad consequendum Sacerdotium, aliasve res spirituales, munera accipiuntur. De quo delicto vid. Tot. Tit. X. de Simonia, & ne aliq. pro spirit. exig. Confer Menoch. de Arbitr. Jud. Ques. Cas. 401. n. 19. 20. & seqq.*

II. Crimen LEGIS JULIÆ REPETUNDARUM est, cum pecunia accepta officium publicum *magis aut minus* administratur *l. 3. & 4. ff. de Leg. Jul. Repet.* Hoc delictum committunt, eoque illicite acquirunt *ii*, qui in officio publico sunt constituti, idque dupliciter, vel *generaliter*, vel *specialiter*. *Illi modò*, cum illi, qui publicam potestatem habent, turpiter contra Leg. Jul. repet. prohibitionem pro *Officio magis aut minus administrando*, aliquid agunt. *l. 10. §. 1. ff. de Offic. Pro Conf. l. 3. ff. de Vacat. & Excus. Muner.* Hoc verò modò, cum *Officiales* pro officio *magis aut minus* administrando, dona aut munera accipiunt, velut ob sententiam in Senatu vel Consilio publico dicendam, vel ob accusandum, vel non accusandum. *l. 6. §. 2. l. 7. pr. ff. d. Leg. Jul. Repet.* Nec refert, quod munera solummodo consistant in esculentis vel polulentis, quorum consumptio paucis diebus fit, & jure ciyili permissa sint, juxta. *l. 18. ff. de Offic. Presid.* Siquidem, ne hæc quidem in foro conscientiae tutè accipi possunt. Nec justa excusat causa, ne sententiæ fiant venales & judicia corruptantur. Hujus delicti poena arbitraria est, etiam ultimum supplicium, si nempe ob hominem necandum pecuniam acceperint, vel non acceptâ pecuniâ, calore

lore inducti, innocentem, vel quem punire non debuerant, interfecerint. *I. 7. § 3. ff. de Leg. Jul. Repet. Farin. ac Prax. Crim. Q. III. n. 16. & seqq.*

III. Haud melioris farinæ est PECULATUS, qui est crimen, quō pecunia *sacra, religiosa & publica* auferatur, vel in rem propriam vertitur *I. i. ff. ad L. Jul. Pecul. & quidem ab eo, cuius fidei ac periculo commissa non est I. 9. §. 2. ff. de L. Jul. Pecul.* Sicut autem acquisitio ex tali crimine illicita est, ita quoque omnes hoc vitiō contamnati, in odio fuerunt omnibus honestis, adeo, ut administrator officii publici, si citius dives extiterit, hujus criminis reus habeatur. Hoc argumentō *Salustius* usus est contra *Ciceronem*, cum inquit: *Redderationem, quantum patrimonii acceperis, quid tibi libibus accreverit, quā ex pecunia domum paraveris, Tusculanum & Pompejanum infinito sumptu edificaveris, aut si reties, cui dubium potest esse, quin opulentiam istam ex sanguine & visceribus Civium paraveris?* *Salust. in Declamat. contra Ciceron. in med. Poena peculatus itaque pecuniaria quadrupli est. I. 6. §. fin. ff. b. tit.* Similiter adversus heredem exercetur, nec immirito, cum quæstio principalis ablata pecunia moveatur *I. fin. ff. b. t.* Vel etiam hujus delicti poena est extraordinaria in *privatis* deportatio, honoris omniumque bonorum amissio *I. 3. ff. b. t.* In *publicis* ultimum supplicium, veluti si ipsi Judices tempore administrationis publicas pecunias subtraxerint, ut & ii, qui ministerium iis ad hoc exhibuerunt, vel qui subtractas ab his scientes suscepserunt *S. 9. Ins. de Publ. Jud.* Huic delicto accensetur illud de *RESIDUIS*, quō pecunia publica ab eō, cuius fidei & periculo ad certum usum publicum destinata, data erat, retinetur, vel in usum proprium convertitur.

titur. l. 2. l. 4. §. 3. ff. ad L. Jul. Pecul. Poena hujus criminis est pecuniaria, & reus punitur amplius tertia pars, quam ipse Fisco debet l. 4. §. 5. ff. detinet.

**IV. FOENUS IMPROBUM, seu USURARIA PRAVITAS,** sane omni jure inter illicitos acquirendi modos recensetur. Hoc autem sit, cum foenus in consuetum, seu usurae illicitæ contra legis vel statuti expressam sive tacitam prohibitionem accipiuntur. IMPROBI igitur FOENERATORES sunt, qui à debitoribus immodicas usuras scil. singulis mensibus, vel septimanis aut diebus exigunt, & hi lucri cupidi Judæi, qui ad sanguinem usque inopes debitores enervant, tanquam pernicioса civitatis vel reipublicæ membra in benè constitutis Regnis, Ducatibus & Rebus publicis meritò non tolerandi, sed potius ejiciendi sunt. Covarruv. Var. Resol. l. 3. c. 1. n. 8. Punitur autem usuraria pravitas variè. 1.) quartæ partis sortis amissione Recess. Imper. de Anno 1548. Tit. 17. §. 7. & 1577. Tit. 17. S. 8. 2.) Infamia l. 20. C. Ex quib. Cauf. infam. irrog. Brunnem. ad b. Leg. 3.) Denegatione Christianæ sepulturæ. c. 3. X. de Usuris. c. 2. de Usuris. c. 2. de Usur. in 610. 4.) Extraordinariâ poenâ proportione circumstantiarum. Carpzov. Prax. Crimin. P. 2. Q. 92. n. 29.

**V. ALCHYMIA,** similiter utpote paupertatem habens comitem ex numero modor. illicit. acquirendi est. Propriè autem Alchymia est ars sine arte, cuius medium est strenue mentiri, finis autem mendicare, prout id exempla & experientia quotidiana satis superque demonstrant. Tuscus Conclus. 484. lit. A. Quinque enim Alchymistæ lucrantur, 1.) fumum, 2.) factorem, 3.) fa-

tigationem. 4.) fastidium. 5.) famem, prætereaque aurum quærentes, pecuniam amittunt. Qua de causa *Maximilianus I.* Nobilem quandam Helvet. alias virtuosum ac præclarum, sed Alchymia nimis deditum, ab hac seriò dehorras est, addens; Se quoque huic arti operam dedisse, verum se impensis ejus non suffecisse. *Zinchgreff, inedit. Amstel. p. 65.* Itaque ejusmodi perniciosi operarii in benè constituta Republica non tolerandi sunt: Hujus enim interest, ne quis suâ re malè utatur. §. 2. *Instit. de bis, qui sui vel al. Jur. sunt. Gryph, Oecon. Leg. I. i. c. 22.* n. 145. & segg.

VI. MENDICATIO SEGNIS, qua ex otio commoda comparantur, omni jure inter illicitos acquiri modo habetur. Est autem segnis collectio elemosynæ ob pigritiam salvâ sanitatem, integrisque membris ac vegetis annis facta. *I. un. C. de Mendic. Valid.* Huic operam dant VALIDI MENDICANTES, dum scil. ob questum, sustentationem suam ostiatim mendicando, otioque fruendo, quærunt: Et hi juxta *d. I. unic.* servi efficiebantur ejus, qui inertiam illorum prodiderat, præsertim si erant servilis conditionis, ingenui autem perpetuo demonstratoris colonati adscribabantur, quæ servitutis poena postmodum tamen correcta est in *Nov. 80.* c. 5. ubi ejusmodi mendicantes, ad pannificia, hortorum culturam, aliasque varias artes aut opera adlaibentur, eum nempe in finem, ut simul laborent, ac nutritantur, segnemque in meliorem mutant vitam. Confer. *c. 2. c. 5. qd. 5.* Quamobrem hodie quoque quilibet Magistratus curare debet, ut omnes mendici, animo corpore ac ætate yegetes, non otientur, sed labori incumbant, horumque liberi ad laborem idonei, si iis parentes carere possunt, opificiis,

aliisque servitiis justè addicantur. *Ordinat. Politic. de Anno 1577. Tit. 27. §. 1.* Brunnem. ad Tit. unic. C. de Mend. Valid. Sic etiam alia gentes ob juris æquitatisque rationem idem saluberrimè statuerunt. Si enim juxta l. 5. §. 7. ff. de agnosc. & al. liber. filius, qui sibi alimenta comparare potest, non à patre alendus est, longè minus is, qui neque defectu virium aut sanitatis impeditur seipsum sustentare, aliorum incommodò impigescendus erit. Nullatenus ergo ejusmodi segnes & validi mendicantes tolerandi sunt, cum his ne quidem in foro conscientiæ quicquam dare teneamur. Carpzov. *Jurisprud. Confessor. lib. 2. Def. 324. n. 13. & Def. seq. n. 1.* Inter tales autem mendicantes numerandū non sunt *Nobiles aliisque Honestiores*, qui ob diversam fortunam occultè mendicare tenentur, cum pudoris causa palam aliquid petere non audeant, propter eaque magnam merentur eleemosynam, ex hac ratione, quod inter omnes fortunæ adversitates infelicitissimum genus infortunii sit, quandam fuisse felicem. Menoch. *de Arbitr. Jud. Quest. I. 2. c. 6. Cas. 532. n. 24. & 25.*

VII. SCORTATIO certè ut decalogo ac virtuti contraria, ex illicitis quoque acquirendi modis est, & fit, cum quæstus causâ corporis actui venereo præbetur, tam à masculo quam fœmina. Nam licet regulariter quæstus ex scortatione meretrici, scil. scemino sexui attributatur, non tamen viri soluti & juvenes ab hoc sordido quæstu sunt immunes : Quod attinet itaque scortationem propriè dictam ejusque quæstum, ille principaliter à meretricie, quæ corpore quæstum facit, percipitur, nullâ habita ratione, utrum sit publica, an vero clandestina. *l. 43. princ. ff. de Rit. Nupe.* Meretricum celeberrima Thais à Demosthe-

§ (43) §

shene 10000. drach. desiderans repulsam passa cum tanti  
pœnitere emere nollet. Erasm. l. 4. Apopb. Non magis  
honesto viro ille Pontificum Romanorum census ultra tri-  
ginta scil. millia coronatorum vulg. Milch-Zinse appro-  
bari poterit, sed omnino ut ipsa scortatio inter illicitos  
acquirendi modos referendus. Cons. Carpz. Pr. Cr. p. 2.  
q. 70. n. 7.

VIII. Depravationem monetæ pari modō & quidem  
non infimum locum inter illicitos acquirendi modos  
obtinere certo certius videtur; ut & Polypragmosy-  
ne, dum ob tedium, dissidentiam, arrogantiam, avaritiam  
aut astutiam officium seu fortuna negligitur, aut muta-  
tur, & quivis incerti sàpè quæstus novaque officia cum  
magnō nonnunquam detimento queruntur, sed ut de  
his & pluribus aliis prolixius agamus, angustia pagellarum  
excludimur. Sit itaque

CAPUT III.

De,

INDIFFERENTIBUS AC-  
QVIRENDI MODIS.

In præcedentibus capitibus egimus de *licitis & illi-*  
*citis acquirendi modis*, jam placet paucissimis INDIFFE-  
RENTES pertractare: Quorum numerò occurrit,

I. QVÆSTUS LUDRICUS, cajus participes sunt  
Comœdi, qui lucri causâ publicè in scenam prodeunt, ac  
varios actus theatrales repräsentant. Sunt itaque *ludi*  
*comici*, præsertim hodiè die Opern non omnino pro-  
scribendi, quia ex arte poetica profecti sunt, & virtutis

F 2

aut

aut animi causâ exercentur 1. i. §. 6 ff. de postulando. præfertim si in iis non proferantur obscena vel similia, sed ingeniosa, virtuosa ac utilia. Sic enim propterea laudem merentur, quod juventutem certò quodam respectu moribus liberalibus ac facundiâ erudiant, tum etiam quod oblectent, laboresque animi condiant. Menoch. *de Arbitr. Jud. Cas. 69.* prætereaque non solum in omnem significationem rerum & affectuum paratas habeant manus, verum etiam verborum illorum velocitatem gestus assequatur, neque linguis tantum, sed etiam gestibus sensa animi declarent, imò per prosopœiam virtutes ac via tia aliorum ostendant, idque ideò ut ad illas auditores ac spectatores incitent, ab his autem eos deterreant. Hinc nonnulli comœdi celebres fuerunt etiam apud Antiquos, inter quos recensetur *L. Roscius Gallus*, quem Cicero præceptoris instar in pronunciatione ac gestibus imitatus est; adeò ut Cicero ipsum in oratione pro Roscio contra Famium defendens, dicere solitus sit, videri sibi ore durissimo, qui præsente Roscio gestum agere conaretur. *Cic. pro Quintil.* sic in suis artibus perfecti ~~natur~~ Rosci dicebantur *Festo teste*. Similiter Roscio Æsopum conjungit *Valer. Maximus. I. 8, c. 10. n. 2.* ut ludricæ artis peritissimos, & *Horat. Epb. 2.*

Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit.

Cæterum licet quæstus ludricus plerumque exiguius sit, nec comœdi stabile patrimonium habeant, sed omnia, quæ lucrantur victu ac amictu consumant, quia musicè vivant, & splendide vestiuntur, attamen ii non olim solummodo dvitias seu ad minimum opes acquisiverunt, sed etiamnum hodie eas adhuc acquirunt. Sic prædictus Rosci-

Roscius salaryum è publico habuit, in mercedem autem diurnam mille denarios sine gregalibus accepit. Item apud Romanos duo Pantomini aliquando polliciti sunt, se belli sumptus in biennium suppeditaturos. Nec non Æsopus tragœdus ducenties Sestertium reliquit. Ad quam extraordinariam opulentiam pauci comœdi & vix multis è millibus unus nunc aspirat. Gryph. *Oecon. Leg. l. c. 35.* n. 109. 118. & 119. Pari ratione hodie à nonnullis Regibus ac Principibus extraordinaria liberalitas in comœdos confertur, quorum etiam clementiæ ac patrocinio famæ ac securitati illorum consulitur.

II. LUDUS quoque pro indifferenti modo habetur, ac principaliter lucri captandi causâ instituitur. Qui generaliter est actus, quo recreationis causâ in viatoriam luditur. Est autem ludus triplex: 1.) artis, 2.) fortunæ, 3.) mixtus. Carpz. *Prax. Crim. P. 3. Q. 134.* num. 14. *Ludus artis* itaque solummodo virtutis causâ fit, v. g. Si quis certet hastâ, vel currēndo vel luctandô &c. qui ludus jure permisus *l. 2. §. 1. ff. de Aleat.* quo referatur quoque ingeniosus lusus latrunculorum. Jul. Clar. *l. 5. Sent. §. Ludus n. 3.* *Ludus fortunæ* est, qui sola fortunâ dominante exercetur, veluti si tesseris lusus fiat, qui si modicè adhibebatur, licitus ac indifferentis est. *Mixtus* est, qui viatoriam mediante fortunâ & arte simul tribuit, & hic ludus per se non habetur pro prohibito, sed pro actu indifferenti. Molin. *de Justit. & Jur. Tom. 2. D. 150. num. 2.* Confestim autem cum à lusoribus non habetur ratio facultatum, modi, ac personarum illicitus acquirendi modulus sit. Præsertim cum per se res ancesps periculique plena lusus sit, quare vulgo etiam dicitur: *Es spielen sich*

*sch eher zehen arm / dann einer reich ; & Poeta bene  
monet : ref. Dn. Mev. ad Jus Lüb. l. 1. t. 5. a. 10. n. 30.*

Ludens taxillis, bene respice quid sit in illis.

Spes tua, res tua, sors tua, mors tua, pendet in illis.

Statuimus itaque ludum indifferentem acquirendi modum esse, ac per eum licetè quantum fieri posse, quatenus scil. in eo observantur scientia, probitas, temperantia, pecuniarum affluentia, aut faltem mediocris facultas, tempus, locus, persona ac circumstantiae; siquidem recreationis aut exercitii ergo ludus regulariter ac præcipue exerceri debet, utque animus à curis & actibus ordinariis femotus exhibaretur ac alacrior reddatur; nam *Amant alterna camæna*, ac perpendendum illud Vulg.

Interpone tuis nonnunquam ludrica curis.

Magnatibus itaque ac iis principaliter, qui opiperas opes possident, quævis ludorum genera competitur ac licita, non æquè autem promiscue inferioribus ac cæteris privatis, quoties scil. in pernicie propriam lusui ambiguo se exponunt; interest enim Reipublicæ, ne quis re sua malè utatur. §. 2. *Inst. de bis, qui sui vel alien. jur. sunt.*

III. Inter indifferentes acquirendi modos computatur quoque SPONSIO, quæ est conventio, quâ de veritate vel eventu alicujus rei contendentes, aliquid ponunt vel promittunt, eâ lege, ut victori cedat. Joh. Rüdiger. *Cent. 5. O. 60.* Speidel. in *Notab. Voc. Wetten.* Sponsiones itaque ex omni causa scil. honesta licita sunt. l. 3. ff. de *Aleat.* l. 108. 129. ff. de *V.O.* Stracch. de *Spons.* p. 3. n. 2. Fiunt

Fiunt autem sponsiones regulariter super casu præterito, vel præsenti, vel futuro. Ratione futuri temporis ad sponsionem conditio eaque possibilis apponitur, scil. si Titius consul erit l. 16. ff. de Injust. rupt. irr. fact. Testam. Et licet præterita vel præsentia facta conditionem propriè non importent, ac contrahentes rei veritatem ignorent, tamen hujusmodi sponsiones valent, veluti si Rex Parthorum vivit. l. 120. ff. de V. O. l. 37. ff. de Reb. Cred. Sic quoque licita est sponsio facta super masculo vel fœmina nascituro, quia non subest inhonesta causa v. g. Si Minerva masculū pepererit, Sejus promittit decem Gajo, & contra stipulatur Gajus. Quæritur autem si Minerva hermaproditum pareret, cui comparandus? Resp. juxt. l. 10. ff. de Stat. Hom. ejus Sexus æstimandum, qui in eo prævalet. Strach. de Spons. P. 4. p. m. 402. Porrò sponsiones fieri possunt, non modo æqualiter, sed etiam inæqualiter, ita ut unus v. g. triplo plus ponat. Schäfer. l. 1. Q. 34. Decius Consil. 115. quare quoad læsionem ultra dimidium l. 2. C. de Rescind. Vendit. hic non habet locum. l. 12. ff. de Act. Empt. Vend. Lugo de J. & J. d. D. 31. Secz. 6. num. 77. Utut vero juxta Menoch. lib. 5. præf. 3. num. 4. in sponsionibus ex natura actus videatur licita verborum captatio, nihilominus tamen si dolus dat causam contractui, obstat sponsioni, etiamsi deceptio sit intra dimidium jussi pretii. strach. de Spons. p. 4. n. 3. idè firmiter statuendum est, dolum abesse debere, hujus enim exceptione sponsio eliditur. L. 5. c. de Inutil. pipul. Pari ratione in sponsione non admittitur captiitas e. g. Daz der Stadt-Schreiber zu N. weder lesen noch schreiben könne. Besold. Tb. pr. Vor. Wetten.

Deni-

Denique sponsio non est licita, si libidinis, æmulatio-  
nis, odii, vel contentionis gratiâ fiat. Covarruv. *in c. pec-  
eatum. §. 4. de R. 1, in 6to.* Ad consequendum au-  
tem, quod ex sponzionibus debetur, dantur 3. actiones (1.)  
ex stipulatu, Befold. *loc. predict.* (2.) præscriptis verbis, si  
scil. aliquid datum fuerit, ut detur vel restituatur vincenti  
*L. 17. §. 1. ff. de præscr. Verb.* (3.) Conditio ex Lege vel con-  
fvetudine, si scil. nuddò pastò sponsio sit facta, Schäfer. *L. 1.  
Q. 34. n. 17.* Addi hic possent plures *indifferentes*, ac-  
quirendi modi, verum cum brevitiati opera detur, jam vela-  
contrahimus, ac ex imis præcordiis Sanctæ ac Indivi-  
duæ TRINITATI summas persolvimus  
grates, dicentes :

DEO SOLI SIT GLORIA.



36(0) 58

## P R A E S E S

VIRO Nobilissimo atque Consultissimo

DN. CHRISTIANO MICHAELIS,  
J.U. Doctorando dignissimo, Reg. Dic. Pom.  
Advocato meritissimo,

S. & O.

**H**ominis post lapsum naturam non parum corruptam esse, nemo, nisi sui ignarus ignorare potest. Coeco impetu potius in ea raptur, quæ vanam & caducam felicitatem pariunt, verâ neglectâ prorsus & insuper habitâ. Quæ corpus mulcent, suavisque voluptatum illecebris deliniunt, dies pariter & noctes anxiè anhelat. Auri sacra fame captus omnibus cogitationibus & studio in varios fertur modos, quibus volubilia illa fortunæ acquirat bona. Neque vero quisquam mortalium facile erit, cui hoc insanæ genus pepercit. Verissima sane sunt, extraque omnem dubitationis aleam posita, quæ oratorum princeps, Cicero quondam dixit: *Nemo tām firmum præsidium habet, quod avaritia & voluptas non infregerit & debilitarit.* Tu verò, amice dilectissime, non sine egregia Nominis Tui laude licitos pariter & illicitos comparandi exerces modos. Insigni hoc ingenii fœtu præter omnium ponis oculos, quantâ sis eruditioне, quantusque justi amor tua teneat præcordia. Meritò ergo hæc tua ausa devotis prosequor plausibus, Deum precatus immortalem, ut, quæ nunc laboris eruditio præmia ritè conseruis, iis in seruos fruaris annos Vale. Dat. Jen. VII. Cal. Octob. A. O.R, MDCCI.

G

Sic

35(0)56

**S**ic decus eximium Pindi, Themidosque sacratae  
Edis doctrinæ pignora clara tuæ.  
Ex Themidos cancellis non sine acumine monstras,  
Quotnam acquirendi quam variisque modi.  
Hinc etiam acquisitæ pulcherrima præmia Phœbi,  
Purpura circumdat tempora lata tua.  
Quare jure Tibi hunc omnes gratamur honorem,  
Et mentis latae nunc documenta damus.  
Mox etiam acquisitas sponsam cum dote precamur,  
Quam pietas ornat, virgineusque pudor.

*gratulationis & observantiae g.  
app.*

## COMMENSALES FRISIANI.

**A**dplaudunt cives, Procerum dum stante corona,  
Recte adquirendi fila modosque doces;  
Gaudio, namque meis, ex his occasio aperta est  
Quærendi, rebus. Gratulor ipse mihi.  
Adsequor hinc perquam facile, quæ vota volebant:  
Latus amicitias quæro habeoque tuas.

*hæc sibimet gratulans  
Nobilissimo atque Consultissimo  
DNO. Autori  
adscr.*

**Wolffg. Leonhardus Teuffel**  
de Pirckensee, Eq. Pal.

**L**æta brabea TIBI jam nunc traduntur Amice,  
Jam dudum studiis præmia digna tuis.

*Præ-*

Præmia digna tuis virtutibus eccè parantur  
Quæ Themis ipsa parat Tu cupis inde capis,  
Tu cupis inde capis studiis post funera famam,  
Famam Themisque dabunt lata bracea TIBI.

Hæc pauca Consultissimo Dn. Doctorando, Fautoris suo honoratissimo  
gratulabundus adjicere voluit

Joh. Christ. Kreusler,  
LL. Stud.

Mens humiles habitare casas, vallesque perofa,  
Quamque juvat fordinis deseruisse Lutum;  
Illa velut Jovis altisoni generosa satelles,  
Pennatis remis, se super astra vibrat,  
Utque immortalis, volucris Gangetica, Phœnix  
Gaudet Phœbeis irradiata locis:  
Sic animo augusto cum Te natura bearit,  
Est exola Tibi nox adamata dies  
Stemmatis imò Jubar, veterum decora alta Parentum  
Purpurea brevi Luce novare cupis,  
Majorumque ardens Lauros cumulare, Minervam  
In medio ponis Lumine Solis ovans.  
Cor quod habes famæ cupidum & splendoris avarum  
Salana extruxit Sede Theatra sibi  
Promerita hic justæ capturus præmia Libræ;  
Jungis virtuti Jura sacrata fori.

Pauca hecce, ulteriore affectum Consultissimo  
Dn Doctorando probaturus gratulabundus  
adscriptis ejus devinclissimus

Cajus Matthias Arend.

Verum

56(0)56

**V**erum est, virtuis comites sunt Laudis honores  
Umbraque huic divæ, fama perennis adest.  
Crede tamen multa radiant umbracula luce  
Ettacitis flammis Pectora docta fovent.


Hecce pauca Clarissimo ac Consultissimo  
Dn. Doctorando de honoribus dudum  
jam meritis gratulaturus scripsit ejus  
addictissimus.

**Caspar, Joachim, Ringvicht**  
Wismar. Megap. LL. St.



**Caspar Wscippes Aicn**  
Aetatu





Jena, Diss., 1701

ULB Halle  
003 707 377

3



f

TA → ÖL  
nur 1+ 15 Stück verbunden





1107,5—5

24.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**MODIS ACQVIRENDI**  
VTPOTE  
LICITIS, ILLICITIS AC IN-  
DIFFERENTIBUS,  
QUAM  
AUXILIANTE DIVINI NUMINIS GRATIA  
EX DECRETO ET AUTHORITATE  
**MAGNIFICI FCTORUM ORDINIS**  
IN ILLUSTRI ACADEMIA SALANA  
PRÆSIDE  
**DN. JOH. BERNHARDO Griesen/**  
HÆREDITARIO in Pösen/ JCTO,  
CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI AULICO ET  
CONSISTORIALI SPLENDIDISSIMO,  
NEC NON  
ANTECESSORE ET FACULTAT. JURID.  
ASSESSORE MERITISSIMO,  
**DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE AC HOSPITE**  
ETATEM VENERANDO,  
PRO SUMMIS IN UTRQVE JURE HONORIBUS AC PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS RITE LEGITIMEq; CONSEQUENDIS,  
PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ SUBMITTIT  
**CHRISTIANUS MICHAELIS,**  
WISMARIENSIS, REG. DIC. POM. ADVOC.  
IN AUDITORIO MAJORI  
DIE XXIV. SEPTEMBR. ANNO MDCCI.  
HORIS CONSVENTIS TAM ANTE QUAM POMERIDIANIS.

JENÆ,  
LITERIS WERTHERIANIS.